

APENDICE
A
LOS ESTATUTOS
DE
LA SANTA IGLESIA CATEDRAL
DE QUERETARO.



QUERETARO.
IMPRESA DE LA ESCUELA DE ARTES.
1.ª DE SANTA CLARA NÚM. 7.

1904



I

Bula de Erección de la Diócesis.

“De Querétaro — Dismembratio et Erectio.”

66 **P**IUS Episcopus servus servorum Dei.—Ad perpetuam Rei Memoriam.—Deo Optimo Maximo largiente in supremi Apostolatus calmine licet indigni constituti, factique forma gregis ex animo, Nostrum semper esse duximus non solum verbo et exemplo, concreditas Nobis undique gentes edocere, sed nihil quoque intentatum relinquere, ut singula illis adjumenta praeberemus, quibus ea cuncta exequi curarent, quae verum christifidelem decent, ita ut Deo primum, statutisque ab Eo potestatibus inservientes, peracto hujus vitae brevissimo curriculo ad aeternam beatitudinem tandem aliquando perventuri sint. Quum vero inter media ad hunc finem assequendum, illud praecipuum habeatur Pastorum numerum in Dioecesibus augendi; Hinc, Praedecessorum nostrorum vestigiis

inhaerentes, omnes lubenti animo occasiones arripimus novas Ecclesias fundandi, iis praesertim in locis quae cum longe lateque paterent, haud satis ab uno tantum Episcopo gubernari poterant, quantumvis sollicito Plebisque suae curam habente. Propensiori, igitur, animo deprehendimus ad Catholicae Religionis gloriam, utilitatem et incrementum, fore valde opportunum, ut vastissima Metropolitanae Ecclesiae Mexicanae Dioecesis jam aptius acomodatiusque ad alios inde conficiendos Episcopatus circumscribatur, ut ita prout necessitas exigit, congrue multiplicentur Christifidelium animarum Pastores, qui sanam propius edocentes doctrinam, et in omnibus seipos bonorum operum exemplum praebentes, infirma erigant, dubia consolident, depravata corrigant, et verbum vitae in aeternitatis cibum pro quaque familia sibi concredita dispertiant. Nuper, igitur, adhibitibus etiam consultationibus in id scite probeque elaboratis a Venerabili Fratre nostro Josepho Maria Covarrubias, hodierno Episcopo de Antequera, qui plures per annos in eamet Archiepiscopali Dioecesi munia Vicarii Generalis accurate obivit, in id consilii venimus, ut praeter ea Loca quae jam inde ab Anno Domini millesimo octingentesimo sexto decimo, ad novum efformandum episcopatum de Chilapa, dismembrata essent per Apostolicas Litteras incipientes: «Universi Domini Gregis»—quae tamen propter subortas rerum varietates, et sequiora circumstantiarum impedimenta nondum exequutioni demandatae sunt, nunc et alia Oppida, seu Paroeciae subluantur. Maxime namque praestat, apprimeque digne dignoscitur, salubriter oportere ut nedum praesignata Chilapana, verum etiam altera in conterminis Provinciae de Queretaro, et Territorio de Sierra Gorda nuncupato Iturbide, necnon alia in eis districtis seu territorialibus circulis qui Tulancingo et Tula ac Huejutla vocan-

tur, Dioeceses nunc effective pro totidem futuris Episcopis constituentur. Quapropter Nos, qui alias in Apostolicis Litteris postremae provisionis Metropolitanae Ecclesiae Mexicanae, nunc suo viduatae Praesule, Nobis et Apostolicae Sedi facultatem reservavimus, novam dioecesis Mexicanae circumscriptionem Nostro ipsiusque Sedis arbitrio quocumque tempore ineundi, quique licet malis undique circumdati et assiduis animi angoribus cruciati, ministerium Nostrum non deserimus, ac fidelium omnium bono unice intenti, quod Deo disponente suscepimus munus pro viribus exequi non desistimus, initum consilium quoad instituendam Ecclesiam de Queretaro exequutioni mandare ultro volentes, omnesque et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, censuris et poenis Ecclesiasticis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie respective absolventes, et absolutos fore censentes, necnon attenda dictae Metropolitanae Ecclesiae vacatione, tum Ordinarii Mexicani, tum aliorum quorumcumque in hujusmodi negotio interesse habentium, seu quorumlibet habere praesumentium consensui, ex Suprema in singulas Ecclesias Apostolica Auctoritate, quam plenius harum serie supplentes *Motu proprio*, et ex certa scientia, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, omnia et singula Oppida seu Paroecias, atque Loca quae in tota Provincia de Queretaro, itemque quae in contermino de Sierra Gorda, Territorio Iturbide nuncupato, continentur, una cum singulis quotquot illuc existunt rebus, Ecclesiis, Oratoriis, utriusque sexus Incolis, cujusque sint gradus, ordinis et conditionis, Religiosorum Fratrum Coenobiis, Monialium claustris, caeterisque de more accessoriis, a Mexicana Dioe-

cesi Apostolica Auctoritate perpetuo disjungimus et dismembramus, ac ab Ordinaria jurisdictione et spirituali dominatione et administratione pro tempore existentis Mexicani Archiepiscopi, eadem Auctoritate eximimus et dissolvimus. Et quoniam Civicum Oppidum, de Queretaro nuncupatum, utpote caput et princeps illiusmet Provinciae, quae suam inde retinet denominationem, nedum domorum et majorum aedificiorum circuitu ac incolarum frequentia, verum etiam et Ecclesiarum et Religiosorum Institutorum numero, et pluribus insuper, tum piis, tum industrialibus operibus, aliisque adminiculis, magis inter alia consita oppida praestare perhibetur. Illud ergo ad Civitatis etiam Episcopalis fastigium fruiturae exinde omnibus et singulis honoribus, juribus, praerogativis, gratis et favoribus, quibus modo caeterae Episcopales in Mexicana Republica Civitates, de communi jure legitimoque usu insigniri, fruique solent, Apostolica Auctoritate praefata etiam perpetuo evehimus et attolimus, atque adeo in Episcopatus noviter erigendi de Queretaro ejusque in tempore Antistitis residentiam *erigimus*. Quum autem Civitas ipsa de Queretaro in quinque Paroecias divisa comperiat, alteram ex iis Ecclesiis Deo dicata in honorem Sancti Jacobi, quem eadem Civitas in Patronum veneratura sit, in Cathedrali, sub eadem utique invocatione permansuram ac eandem servaturam Parochialitatem cum animarum cura, uti antea exercenda, dicta Apostolica Auctoritate perpetuo *instituimus*. Praecipiendo, ut in Cathedrali sic instituta, *erigatur* Cathedra et Dignitas Episcopalis, pro uno in posterum Antistite de Queretaro nuncupando, qui suae Episcopali Ecclesiae et Dioecesi, atque Clero et Populo praesit, ac Ecclesiasticae jurisdictionis suae Ordinariae gubernio probe salubriterque prospiciat. Religionem Catholicam, Apostolicam, Romanam, una cum suis juribus et prae-

rogativis quibus ex Dei ordinatione, sacrorumque Canonum Constitutionibus frui debet, omnino sartam tectamque tueri, magisque promovere satagat. Sacram suae Dioecesis visitationem statutis per eosdem Canones temporibus obire, Synodum dioecesanam aliquando convocare, et conficere suas instructiones, ordinationes, mandata et decreta, tum ad ecclesiasticae administrationis munera quaqua versus explenda, tum ad rectam morum disciplinam observandam erogare, et efficaciter promulgare, eaque omnia quae Pastoralis sui Ministerii, suique Fori ecclesiastici ratio, rerumque item Ecclesiasticarum, sive necessitas sive opportunitas requirunt, animadvertere, ordinare, et decernere valeat et debeat, quin ab ullo unquam distrahi vel praepediri quovis utcumque colorato titulo ullaenus possit. Communionem denique obviam et prorsus liberam cum univrsso suo Clero et Populo, eoque magis cum hac Sancta Apostolica Sede, semper et quandocumque habere et tueri curet et gaudeat, aliisque omnibus et singulis defungantur quae ordinario Episcoporum propria sunt, ac ea cuncta sive personalia, sive realia, sive mixta jura, honores, facultates, praerogativas, praeminentias et caetera quibus alii Mexicanae Reipublicae Episcopi rite fruuntur, pariter planeque obtineat. Porro *novae sic erectae Ecclesiae de Queretaro*, cuncta Oppida seu Paroecias, atque Loca, in enunciatis Provincia et contermino Territorio in propriam Dioecesim, ita quod illa sua praeseferat certa confinia, qua nempe vergit ad Septentrionem, ea usque ad Sancti Aloysii Potosiensis Dioecesim, qua verò vergit ad Meridiem et inde ad Orientem, illa usque ad dictae Metropolitanæ Ecclesiae Mexicanæ Dioecesis, eo tamen considerandam in statu quem ipsa retinebit, simul ac fuerit ut praefertur dismembrata et circumscripta, qua tandem vergit ad Occidentem exindeque ad Meridiem, ea us-

que ad Mechoacanensem et ad alteram novam Leonensem Dioeceseos patebunt, pari Apostolica Auctoritate etiam perpetuo *adjudicamus*, ac nedum Civitatem de Queretaro, atque Oppida seu Paroecias et Loca supradicta, sed etiam caeteros illuc consitos Pagos, res, Ecclesias, Oratoria, Religiosa item utriusque sexus Monasteria, et pia quaeque Instituta, consuetaque accessoria, cum omnibus et singulis utriusque sexus Incolis, qui tamen specialis exemptionis privilegio minime gaudeant, confestim Ordinariae pro tempore existentis Episcopi de Queretaro jurisdictioni, administrationi, atque regimini, simili Apostolica Auctoritate *subjicimus*. Iubendo, ut omnia Instrumenta, Libri, Foundationes Ecclesiasticae in pias causas, Testamenta ac reliqua Scripta, Ecclesiasticos titulos vel Personas ac Paroecias ut supra disjunctas, earumque jura, rationes seu privilegia respicientia a Mexicana Cancellaria pro opportunitate secernantur, ac alteri de Queretaro Cancellariae ad quaecumque necessitatem et normam tradantur. Quoad vero Capitulum Cathedralis rite seduloque divinis Officiis et Ecclesiasticis functionibus inibi satisfactorum, ac operam debitam, et reverentiam Episcopo allaturum, Nos habita peculiarum circumstantiarum ratione, *interim* Apostolica Auctoritate *injungimus, ut quam primum* in dicta Cathedrali Ecclesia de Queretaro, juxta Sacrorum Canonum praescriptum *erigatur Capitulum*, quod usquedum majores redditus, numerum Canonicorum et Beneficiariorum pro necessitate adaugere non sinant, una constabit post Pontificalem Dignitate, *Archidiaconi* titulum praeseferente, ac Sex Canonicatibus cum suis Praebendis et dotationibus, quorum alter Poenitentiaris seu Magistralis sit, alter vero Theologalis sive Doctoralis, cum suis respective adnexis honoribus et oneribus, Caeteri tandem quatuor de *Gratia* appellentur, pro totidem Ecclesiasticis idoneis viris,

qui quotidie Divino cultui, ex more institutoque inseruire, et ecclesiastica officia sedulo absolvere, ac cunctis honoribus, juribus, facultatibus, praerogativis, gratiis, favoribus et privilegiis, quibus de communi jure caetera in Mexicana Republica, Cathedralium Capitula fruuntur, potiri debeant, praescripto concursu ad tramites Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum, quoad Poenitentiarum et Theologalem Praebendas hujusmodi, ac superaddito pro nunc Sex Beneficiariorum seu Capellanorum aut Mansionariorum numero, qui Choro aliisque quibuscumque functionibus interesse, et Altari in Officiis Diaconi et Subdiaconi alterna vice deservire debeant, ac quorum Prior etiam Secretarii Capitularis, ac Secundus Magistri quoque Caeremoniarum, et Tertius, etiam Magistri quoad Cantorum Capellani, Quartus vero, Censoris quoque seu Punctatoris eorum, qui absque ulla causa canonica, a choralibus functionibus se abstineant, Quintus insuper, etiam Secundi Magistri Caeremoniarum, denique Sextus, Secundi quoque Punctatoris munera obire teneantur, reservatis eis praerogativis et gratiis, quibus aliorum hujusmodi Cathedralium Beneficiariorum seu Capellanorum aut Mansionariorum coetus potiuntur. Cui quidem Capitulo, ut omnes Archidiaconus et Canonici ac Beneficarii seu Capellani vel Mansionarii, tam in dicta Cathedrali Ecclesia, quam extra eam, Dioecesanos tamen intra limites, quoties Capitulariter convenerint, indumenta et insignia choralia quae communiter tum Canonicis, tum Beneficariis caeterarum Cathedralium Mexicanae Republicae usuvenerint, iis dumtaxat exceptis quae forsitan peculiari ex privilegio vel oneroso titulo impertita fuerint, libere et licite gestare et adhibere valeant, dicta Apostolica Auctoritate perpetuo item concedimus et indulgemus. Eidemque Capitulo veniam et facultatem tribuimus et impertimur, conficiendi sibi Ca-